

* 1. Cor. 6. uxóri suæ : & * erunt duo in carne una.
 16.
 32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.
 33. Veruntamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum. *

CAPUT VI.

De mutuis inter parentes, & liberos; inter dominos & servos officiis. De lucta adversus demones; de perseverantia in oratione.

1. **F**ilii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est.
 * Exod. 20. 2. * Honora patrem tuum, & matrem tuam. quod est mandatum primum in promissione:
 12. Deuter. 5. 16.
 Eccli. 3. 9. 3. ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.
 4. Matth. 15. 4.
 Marc. 7. 10. 7. Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.
 Col. 3. 20. * Coloss. 3. 22. 5. * Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo:
 Tit. 2. 9. 1. Petri. 2. 18. 6. non ad oculos servièntes, quasi hominibus placèntes, sed ut servi Christi, facièntes voluntatem Dei ex animo,
 7. cum bona voluntate servièntes, sicut Domino, & non hominibus:
 8. scièntes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.
 9. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scièntes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: * & perfonarum acceptio non est apud eum.
 * Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 7. Job 34. 19. Sap. 6. 8. Eccli. 35. 15. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Col. 3. 25. 1. Petri. 1. 17. † DOM. 21. POST PENTEC.

in Domino, & in potentia virtutis eius.
 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.
 12. quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem: sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.
 13. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.
 14. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorice iustitiæ,
 15. & calceati pedes in præparatione Evangelij pacis:
 16. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere:
 17. * & galeam salutis assumite: & gladium spiritus (quod est verbum Dei) *
 1. Thess. 5. 8. 18. per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso * vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis: * Col. 4. 2. 19. * & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelij:
 20. pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.
 21. Ut autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino:
 22. quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoleretur corda vestra.
 23. Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Iesu Christo.
 24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen.



EPI-

EPÍSTOLA
 B. PAULI APOSTOLI
 AD PHILIPPÉNSE S.

HANC EPISTOLAM eodem anno (era vulgaris 62.) & ex eodem carcere ex quo superiorem ad Ephesios scripsit Apostolus. Quo tempore eius vincula in toto Prætorio inclaruerunt, nonnullis ex ipsius Cesaris quoque palatio ad fidem Christi conversis, (cap. 12. & 4. 22.) A Cesare enim missus in carcerem, inquit Hieronymus, notior familiaris eius factus, persecutoris domum, Christi fecit Ecclesiam. Philippenses autem idem blandius quam ceteros appellat, quod ab ipso cum Macedoniam caelesti monitu intrasset, primum conversi: singulare deinde in Paulum studium ostenderant, ipsique pridem Thessalonica agenti & post Roma victo, subsidium per Epaphroditum miserant. Qui cum ex gravissimo morbo convalescisset, ad suos cum his litteris à Paulo remissus est; quibus ipsos monet ut in fide Christi constanter persistant, nec frangantur adversus, nec fidem habeant Pseudoapostolis iudaizantibus, quos canes & inimicos Crucis Christi appellat, docetque non ex lege, sed ex fide Christi veram esse iustitiam. Postremo magnas ipsorum munificentia gratias agit.

Comment. in Epist. ad Philem.

CAPUT PRIMUM.

Post solitam salutationem, & studij erga Philippenses sui declarationem, vincula sua ad propagationem Evangelij multum profuisse testatur: dubitat an sibi vivere satius sit, an mori; eosque ad patientiam adhortatur.

1. **P**AULUS, & Timotheus servi Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis, & diaconibus.
 2. Gratia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.
 3. Gratiarum ago Deo meo in omni memoria vestri,
 4. semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens,
 5. super communicatione vestra in Evangelio Christi à prima die usque nunc.
 6. † confidens hoc ipsum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.
 7. sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis: eò quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Evangelij, socios gaudij mei omnes vos esse.
 8. Testis enim mihi est Deus, quomodò cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.
 9. Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu:

† DOM. 22. POST PENTEC.

10. ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi,
 11. replenti fructu iustitiæ per Iesum Christum, in gloriam & laudem Dei.
 12. Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelij:
 13. ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in ceteris omnibus,
 14. & plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.
 15. Quidam quidem & propter invidiam, & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant:
 16. quidam ex charitate: scièntes quoniam in defensionem Evangelij positus sum.
 17. Quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes presuram se suscitare vinculis meis.
 18. Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.
 19. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, & subministracionem Spiritus Iesu Christi
 20. secundum spectacionem, & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.
 21. Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.

22. Quod

22. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro.

23. Coarctator autem est duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius:

24. permanere autem in carne, necessarium propter vos.

25. Et hoc confidens scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei:

26. ut gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum adventum iterum ad vos.

* Ephes. 4. 1. Coloss. 1. 10. 1. Thess. 2. 12. 27. * Tantum digne Evangelio Christi conversamini: ut si cum venero, & videro vos, si absens audiam de vobis quia stis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelij:

28. & in nullo terreamini ab adversariis: quae illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc a Deo:

29. quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini:

30. idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.

CAPUT II.

Ad mutuam charitatem, & humilitatem eos adhortatur.

1. **S**I qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis:

2. implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes,

3. nihil per contentionem, neque per inane gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes,

4. non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea, quae aliorum.

* DOM. PALM. AD MISS.

Item, IN INVENT. ET EXALT. S. CRUCIS.

5. * Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu:

6. qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo:

7. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

* Heb. 2. 9. 8. * Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

9. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen:

* Rom. 14. 11. 10. * ut in nomine Iesu omne genu

flexatur caelestium, terrestrium, & infernorum,

11. & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. ^A

12. Itaque charissimi mei (sicut semper obedistis:) non ut in praesentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini.

13. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.

14. * Omnia autem facite sine murmurationibus, & haesitationibus:

15. ut sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae, & perversae: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo,

16. verbum vitae continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

17. Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestrae, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.

18. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

19. Spero autem in Domino Iesu, * Timotheum me cito mittere ad vos: ut & ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt.

20. Neminem enim habeo tam unanimum, qui sinceram affectione pro vobis sollicitus sit.

21. * Omnes enim quae sua sunt quarunt, non quae sunt Iesu Christi.

22. Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servavit in Evangelio.

23. Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quae circa me sunt.

24. Confido autem in Domino quoniam & ipse veniam ad vos cito.

25. Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meae, mittere ad vos:

26. quoniam quidem omnes vos desiderabat: & moestus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum.

27. Nam & infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est eius: non solum autem eius, verum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

28. Festinantius ergo misi illum, ut

visto eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim.

29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote.

30. quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

CAPUT III.

In hoc capite agit Paulus contra Iudaizantes, & Simonianos hereticos, de iustitia legis, & fidei. Qui sunt vere circumcisi, exponit.

1. **D**E cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.

2. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

3. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes,

4. quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis,

5. circumcisos octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebraeus ex

* Act. 23. 6. Hebraeus, * secundum legem Pharisaeus,

6. secundum emulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum iustitiam, quae in lege est, conversatus sine querela:

* PRO CONFESS. NON PONTIF. 7. Sed & quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta.

8. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,

9. & inveniar in illo non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Iesu: quae ex Deo est iustitia in fide

10. ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius:

11. si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est ex mortuis:

12. non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum a Christo Iesu. ^A

13. Fratres, ego me non arbitror com-

prehendisse. Unum autem: quae quidem retrò sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum,

14. ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu.

15. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.

16. Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.

17. * Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

18. * Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem & fens doci) inimicos crucis Christi:

19. quorum finis interitus: quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

20. Nostra autem conversatio in caelis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum,

21. qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam possit subicere sibi omnia.

CAPUT IV.

Concordiam, pietatem, modestiam, orationem, & alias virtutes Christianas commendat; omnia potest in Christo.

1. **I**Taque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic stete in Domino, charissimi:

2. Evodiam rogo, & Syntychem deprecor idipsum sapere in Domino.

3. Etiam rogo & te germane compar, adiuva illas, quae mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae. ^A

4. * Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete.

5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est.

6. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.

7. Et pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu. ^A

8. De